

Casus Moralis

Abdenagus, confessarius, sacramentalem confessionem audit cujusdam Nebulonem quem novit peccatum grave sibi celare quod scientia propria sibi metipsum constat Nebulonem commisisse; neque, ex indubiis adjunctis, confessarius praesumere potest Nebulonem rem de qua agitur non habere pro peccato, aut ipsum peccatum oblitum esse, aut jam confessum fuisse, aut habere causam illud tacendi. Prudenter Abdenagus Nebulonem de eodem peccato interrogat, qui statim omnia negat. Eis tunc non obstantibus, Abdenagus Nebulonem absolvit, hoc principio innixus: "credendum est poenitenti tum pro se, tum contra se loquenti".

Quaeritur :

- 1o. Num Abdenagus recte in casu judicaverit.
- 2o. Num valide Nebulonem solverit.

Solutio :

Ad I. — Male Abdenagus judicavit in casu : principium enim quo ipse innitebatur in casu nostro non valet. Credendum est utique poenitenti tum pro se tum contra se loquenti, quia ipse poenitens in tribunali poenitentiae est reus et testis, accusator et advocatus sui ipsius; insuper poenitens in confessione semper praesumendus est verax, *nisi tamen aliud probetur in contrarium*. Igitur Confessarius semper est in officio poenitentem absolvendi, *nisi certo sciat* ipsum poenitentem sacrilegam confessionem peragere reticito sibi peccato gravi, quod illi certo constat eum commisisse. Si igitur Abdenagus optime fecit prudenter investigando et interrogando Nebulonem: circa peccatum grave reticatum, male fecit illum, peccatum grave negantem, absolvendo.

Sed ut adhuc praecisiores simus circa principium quo Abdenagus innixus fuit, distinguere nos oportet inter peccati commissi cognitionem in confessione sacramentali habitam et extra sacramentum habitam, et quidem sive ex relatione aliorum sive propria experientia habitam. In primo casu, i.e. cum Confessarius cognoscit peccatum ex confessione alterius, ipse tenetur utique generatim circa illud interrogare et poenitentem hortari ut conscientiam suam cum omni fiducia sibi adaperiat, et si poenitens interrogatus negaverit, tunc, juxta communio rem sententiam, poenitens est absolvendus. Notitia enim peccati ex sola confessione alterius,

dicamus complicitis, habita, pro nulla est habenda; secus et periculum sigillum sacramentale violandi adesset.

Dixi "juxta communiorem sententiam", quia aliqui moralistae, inter quos S. Alphonsus, docent in casu poenitentem nullo modo absolvendum esse "sed tantum (Confessarius) aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis".

Cum vero Confessarius extra confessionem ex relatione aliorum peccatum poenitentis cognoscit, poenitens iterum prudenter est interrogandus, sed si peccatum negat, sine ullo dubio et per se, est absolvendus. Hic revera locum obtinet axioma illud: "Credendum est poenitenti etc". Relatio enim aliorum majorem fidem facere non potest quam declaratio poenitentis, nec proinde magis aliis quam ipsi credere tenetur Confessarius. Ceterum relatores, exclusa in illis mala fide cum simus in confessione, decepti esse possunt. Sed et in hoc casu S. Alphonsus absolvere non auderet poenitentem peccatum reticentem, cum praesertim testes vel relatores sunt ita graves ut de peccato commisso moralis certitudo habeatur. Juxta citatum Doctorem axioma illud "Credendum poenitenti etc" valet solum in re dubia, non vero in re moraliter certa.

Cum vero Confessarius experientia vel scientia propria peccatum in poenitente cognoscit, quia v. gr. propriis oculis illum occidentem vel furantem vidit, aut propriis auribus blasphemantem audivit, convincendus est utique poenitens et si constanter negat, sine absolutione est dimittendus, modo tamen nullum motivum habeat peccatum reticendi aut jam de eo confessus sit. Sublata hac suppositione, poenitens indispositus esset. Sed quod Nebulo noster nullum motivum habuit peccatum grave non confitendi patet et expositione casus. Igitur Abdenagus male interpretatus est axioma praedictum et Nebulonem inabsolutum remittere debuit.

Ad II. — Iterum negative respondendum est. Ad validitatem enim absolutionis, ex parte subjecti requiruntur "actus poenitentis", confessio nempe, contritio et satisfactio, qui actus, quamvis, juxta Scotistas, essentiam Sacramenti non efficiant, sunt tamen requisiti uti conditio sine qua non.

Requiritur Confessio et quidem jure divino uti docet Tridentinum (Sess. XIV, c. v.). Haec autem Confessio, ad validam absolutionem, debitis vestita esse debet conditionibus, et praesertim *veram* atque *integram* esse oportet. *Vera*, i.e. sine mendacio peracta et quidem sub gravi in re gravi, sub levi in re levi. *Integra*,

non quidem *materialiter* i.e. tot quot, sed sufficit *formaliter* quod obtinet cum explicantur omnia peccata mortalia quae hic et nunc, spectatis adjunctis, accusari possunt et debent.

Nunc ad rem nostram quod attinet. Estne vera et integra Nebulonis confessio? Nego absolute. Non est vera, quia Nebulo scienter negat peccatum mortale, quae negatio, cum sit in re gravi, substantialiter iudicium sacramentale alterat; cumque notabilem irreverentiam erga rem tam sacram in se contineat, peccati Nebulonis speciem mutat in sacrilegium. Neque integra, quia Nebulo, uti et expositione casus constat, nullum motivum habuit peccatum suum tacendi.

Requiritur insuper in poenitente contritio, seu dolor et detestatio peccati commissi et quidem necessitate medii et praecepti cum naturalis tum divini, uti docet idem Tridentinum sess. XIV, c. iv. Haec autem contritio, praeter alias qualitates quas habeat oportet, *vera* atque *formalis* esse debet i.e. *interna*, seu voluntate concepta. Estne talis Nebulonis contritio? Nullo modo. Etenim qui vere atque sincere dolet de injuria Deo irrogata peccatis, vult etiam observare ea omnia quae Christus ad remissionem peccatorum ordinavit praeceptique.

Nebulo igitur non est verus poenitens, sed, uti Layman habet "simulator egregius" (1), vel cum Sporer "simulator nequam" (2). Aliis verbis, Nebulo est indispositus, ergo indignus. Indignis vero occultis occulte petentibus, sub gravi neganda sunt Sacramenta, tum ex caritate et religione, ex eo quod Minister qui Sacramenta indigno administrat ad gravissimum sacrilegium cooperatur et fideles grave scandalum patiuntur, tum ex fidelitate, cum Minister non sit dominus Sacramentorum sed simpliciter dispensator juxta voluntatem Domini sui. Dominus autem imperat ne sanctum detur canibus neque margaritae mittantur ante porcos (3). Ab hac obligatione, juxta aliquos, excusat tantum grave periculum, quia, hoc in casu, cooperatio esset materialis tantum, non vero formalis.

Concludendum est ergo quod male fecit Abdenagus Nebulonem indispositum absolvens. Absolutio enim hujus est invalida, imo sacrilega, etsi Abdenagus, ad summum, excusari possit a gravi propter suam bonam fidem.

A. TABONE.

(1) LAYMAN: *Theologia Moralis*, Lib. V, tr. IV, c. XIV, 25.

(2) SPORER: *Theologia Moralis*, Pars III, c. VI, Sec. IV, n. 802.

(3) Mt. VII, 6.